



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XVIII. Idem a Abbati sanctæ Trinitatis de Maleleon.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

sine novo jussu; immò potius contra voluntatem ipsius mandantis, si jam iram mutavit. In qua quæstione dicendum est, non esse necessariam acceptationem, & ita eo in casu mandantem manere irregularē, etiam si nihil denuò jusserit, vel si retractaverit voluntatem suam, dum sufficienter non revocaverit mandatum. Et ratio est, quia crimen, quod mandando commiserat, adhuc perseverat, & sic semper manet ex vi prioris mandati non revocati exhortatio in mandatario; unde licet à principio non consenserit, potest tamen ex vi prioris mandati moveri, & induci ad homicidium; & ita illud imputatur mandanti, dum mandatum non revocavit, ut docuerunt Innocentius in d. cap. ad audienciam, hoc tit. Suarez dict. scilicet 3. Majolus lib. 5. de irregulari, cap. 48.

3

His præmissis, cùm in præsenti casu Petrus, nec consilio, nec exhortatione homicidium fieri suafisset, aut illud fieri mandasset, immò potius inhibuisse ne Abbas laderetur, irregularitatē non contraxit, et si ejus causā homicidium perpetratum fuisset, ut de simonia in non dissimili casu probavi in c. per træs. de simonia: quare illa verba hujus textus Concedas auctoritate Apostolica, potius referenda sunt ad declarationem, quam ad dispensationem. Si autem in præsenti casu, dum de occidendo Abbatem, seu vulnerando in præsencia Petri agebatur, ipse taceret, sequitur homicidio, eum regularem manere docuerunt Gibalin. de irregulari. c. 4. consuet. 14. fol. 155. Felinus presenti: qui alia dubia de suadentibus, vel non homicidium, proponit, & exponit.

## CAP VT XVIII.

Idem <sup>a</sup> Abbatii sanctæ Trinitatis de Malelon.

**S**ignificasti nobis per literas tuas, quod cùm quidam maleficus ingressus Ecclesiam de Brucio, Dei timore postposito, <sup>b</sup> Euchæritiam cum altarium ornamenti & libriss ecclæsiaticis extra Ecclesiam asportasset, dilectus filius Laurentius presbyter Ecclesiazator præsentium, regularis Canonicus, quem in prædicta Ecclesia de Brucio institutas Capellanum, præfatum iniquitatis filium fessorio arrepto percussit: sed si ad mortem fuit ictus hujusmodi, tu, & ipse penitus ignoratis. Cum autem parochiani Ecclesia memorata audirent prædictum maleficum ornamenta Ecclesia asportantem, ipsum arreptis gladiis, & fustibus in eodem loco protinus occiderunt. Prædictus verò Laurentius de sua salute præcogitans, evoluto anno, sub titulo confessionis rei ordinem tibi a revelavit, pro quo nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Licet autem contineatur in Canone, quod si quatuor homines, aut quinque, vel plures contra hominem unum rixati fuerint, & ab his mortuus fuerit vulneratus, quicumque illorum ei plagam imposuerit, homicida, secundum statuta canonum, judicetur. Quia tamen in alio canone dicitur de presbytero, qui Diaconum equitantem percussit, & ipse cadens ex equo, cervice fracta interierit, quod si non ad mortem percussus est, incaute agenti presbytero competens pœnitentia est indicanda, ita quod aliquanto tempore a Missarum suspensus solenniis, de quo ad sacerdotale officium revertatur. Quod si veraciter qualicumque percussione presbyteri mortuus est Diaconus, nullà ratione more sacerdotis permittendus est ministrare, etiam si voluntatem non habuerit occidendi. Nos in præmisso casu credimus distingendum, utrum constare possit, quod præfatus sacerdos non infixit percussionem lethalem, de qua videlicet, si aliorum vulnera non fuissent subsecuta, percussus minimè interiisset: & si percussor voluntatem non habuerit occidendi, nec ipsius studio, vel <sup>b</sup> consilio, vel mandato processerint alii contra illum. Et quidem si hoc ita se habet (quod forsitan ex eo posset ostendit, si certa apparusset percussio ab eodem inflicta, tam modica, & tam levis, in ea corporis parte, in qua quis de levi percuti non solet i ad mortem, ut peritorum iudicio i medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis;) cùm de cæteris credendum sit ipsi sacerdoti, qui non accusatur, vel denuntiatur ab aliquo, sed per se ipsum de tua salute sollicitus consilium appetit salutare; post pœnitentiam eidem ad cautelam injunctam, in sacerdotali poterit officio ministrare, religionis accidente favore, cùm sit canonicus regularis, & sine omni scandalo possit sacerdotale officium exercere. Quod si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interierit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberit tunc sacerdos: & si forsitan homicida non sit, a sacerdotiali officio abstinerere debet; cùm in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum, timeatur. Utrum autem de illis sit simile sentendum, quorum unus, sed quis, omnino nescitur, homicidium perpetravit, si forsitan ad facros ordines recipiendos præsententur, utrum omnes sint pariter repellendi, cùm discerni non possit, qui debeat inculpabiles judicari

judicari, diligens investigator advertat, quamvis hic casus sit ab illo valde diversus. Si vero quemadmodum perhibetur, sacerdos iste prius ab illo percussus sacrilego, mox cum cum ligone in capite repercutitur, quamvis vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendum vindictam, sed ad injuriam propulsandam, non videtur idem sacerdos à pena homicidii penitus excusatus: tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cum grave sit, non solet levem plagam inferre; tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis solet lethaliter lœdi; maximè cum secundum vulgare proverbium afferatur, quod qui ferit primò, ferit tangendo; qui ferit secundò, ferit dolendo: unde penitatis omnibus ei creditur expedire, ut cum humilitate abstineat à sacerdotali officio exequendo.

## NOTÆ.

**M**alevolon.) Ita legitur in quarta collectione, sub hoc titulo, cap. 2. in hac autem sexta legitur Mandelberg. Sed adhuc non inveni urbem seu locum, ubi monasterium hoc sanctæ Trinitatis esset.

**b** Eucharistiam.) Quæ servari debet in Ecclesia, juxta tradita in cap. 1. de custod. Eucharistie.

**c** Percussit.) Cum furem diurnum non posset occidere, præcipue quia proclamatio hoc casu sufficiebat, cum parochiani propè essent, ut notavi in cap. 2. hoc tit.

**d** Revelavit.) Concessa videlicet facultate patefaciendi casum Romano Pontifici, vel aliis, juxta tradita in cap. 2. de off. ordin.

**e** Canone.) Videlicet cap. ult. 23, quæst. final. qui citatur ex Concilio Wormac. ab Ivone Carstenensi part. 10. Decreti, cap. 179. Burchardo lib. 6. Decreti, cap. 42. & in Pœnitentiali Romano tit. 1. cap. 13.

**f** In alio Canone.) Relato in cap. 1. deudat, 50. distinc.

**g** Voluntatem non habuerit.) Non quia voluntas tantum occidendi possit irregularitatem inducere, nisi sequitâ occisione, seu membris mutilatione, siquidem certum est ex deliberata voluntate occidendi hominem, etiam ad actum externum deducta, si modò nec homicidium, nec membra amputata sequita fuerit, non incurri irregularitatem, ut constat ex cap. fin. 13. quæst. 1. cap. scilicet dignum, §. illi autem, hoc tit. ibi: Si de illa capione morte ejus sequuta fuerit; uidocent Maillus lib. 5. cap. 48. num. 4. Suarez de censur. disq. 44. sect. 2. Covar. in Clement. si furiosus, 2. part. in initio, num. 2. Nec contrarium probant textus in cap. præterea 29. cap. si quis 30. de pœnit. disq. 1. & præcipue illud divinum. Non concupisces, quo inordinatus solius mentis appetitus, damnatur. Et in 1. si quis cum telo, Cod. ad leg. Corn. de sciaris: ubi sola voluntas occidendi ad actum exteriorem deducta puniri. Ergo irregularitas etiam incurri potest ex deliberata voluntate. Nam respondendum est, animum delinquendi in mente revertentum, & opere non declaratum, non puniri in foro exteriori, sed tantum in interiori, ut constat ex dict. c. præterea. dict. cap. si quis, ubi dicitur furti teneri, qui solo timore non suratur; & non minus delinqueret eum: cui sola est voluntas peccandi, quam si in ipso facto deprehenderetur: quod est intelligendum quoad Deum, non quoad homines, juxta textum in L. cogitationis ff. de pœnis, relatum in c. cogitationis, de pœnit. disq. 1. Deus enim, cui actus internos comprehendere, & perscrutari reservatum est, lib. 1. Regum, cap. 16. D. Paulus 1. ad Corinth. c. 4.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

non ex opere, & effectibus judicat, sed ex corde, c. qui pejerare 22. quæst. 5. & ex corde procedere adulteria, & cetera peccata traditur in c. 15. Matthæi, cap. 1. 15. quæst. 6. in quem sensum accipendi sunt textus in cap. si quid invenisti 14. q. 5. c. Christiana 32. q. 5. cap. erubescant, 32. disq. cum aliis adductis per Felinum in c. 1. de pœn. Itaque in foro exteriori voluntas in mente retenta, non deducta ad actum externum, puniri non debet, dict. l. cogitationis, l. 1. §. hæc autem, in fine, ff. quod quisque juris. Unde cum irregularitas sit impedimentum inducendum lege canonica, ut probavi supra in c. de cæreto; idèo propter actum internum incurri non potest irregularitas. Nec etiam obstat quod in non nullis privilegiis Romani Pontificis conceditur facultas dispensandi in irregularitate purè mentali, ut constat ex Concil. Basileensi sess. 14. & in Bulla Crucifera concessa à Pio IV. anno 1561. Non potest autem irregularitas vocari purè mentalis, nisi ex actu purè mentali. Ergo supponit Pontifex dari aliquam irregularitatem mentali, alias illusoria essent illa privilegia. Nam huic difficultati ut satisfaciant Doctores varia adducunt. Hentiquez lib. 6. summa, cap. 14. §. 4. lit. X. affirmit illam clausulam positam esse ad cautelam, propter conscientiam scrupulorum. Ledesima in 2. 2. quæst. 26. art. 2. affirmit clausulam illam non esse summi Pontificis, sed à quæstoribus impositam fuisse. Sed re. Etius Suarez ubi supra, num. 9. Corduba lib. 5. quæst. 43. dub. 2. affirment irregularitatem mentali vocari eam, quæ licet per actum externum contrahatur, pender tamen ex aliqua conditione purè mentali, veluti quod fiat ex certa scientia, contemptu, odio, pœn. & presumptio, aut pertinacia, ut quando quis excommunicatus est, quia egit, vel omisit aliquid scienter, dolosè, & præsumptuosè, juxta speciem textus in cap. penale. vers. cæterum, de Clericis excomm. vel si Ecclesia imponat irregularitatem celebranti baptismum sine intentione; nam talis irregularitas dicetur mentalis, quia originaliter provenit ex illo animo culpabili.

**h** Consilio, vel mandato.) juxta tradita commentario antecedenti.

**i** Ad mortem.) Non tamen omnis, qui lethali vulneratus est, moritur, l. 1. §. ultim. ff. ad Syllan. sicut nec omnis moritur, cui lethalis mors est, auctore Galeno lib. 5. aphorism. Hippocratis. aphorism. 18. quia in vulneribus alia sunt, in quibus plus medicamenta, alia in quibus manus plus proficit, ex Cornelio Celsi lib. 5. cap. 26. itaque eventus expectandus est; nisi enim mors sequatur, existimari non poterit ante vulnus fulisse mortale: & idèo si servus mortiferè vulneratus, postea ruinâ, vel naufragio perierit, de occiso, non de vulnerato agendum esse docuit Ulpianus in l. huius scriptura 15. §. 1. ff. ad leg. Aquil. Eam rationem

tionem assignans, quia post ruinam, vel naufragium non potest apparere, an servus sit occisus. Inde etiam Celsus in *Litem 11. §. Celsus, ff. ad l. Aquil.* docet, quod si alius lethale vulnus inflixerit, alias postea occiderit, priorem non teneri de occiso, sed de vulnerato; posteriore teneri de occiso, quia occidit, & merito, quia propter posterioris homicidium non appetat fuisse vulnus lethale. Nec contrarium docet Julianus in *Lita vulneratus 51 ff. ad l. Aquil.* ubi docet, servum vulneratum esse ab uno, ex cuius iactu certum est moriturum esse; & postea ab alio examinatum: & existimat, utrumque de occiso teneri. Quia facile procedit Juliani sententia, si observemus verba illa: *Certum est moriturum esse.* Quibus non tantum significatur vulnus esse mortale, sed omnino morturum esse, ut in simili casu docuit Papinianus in *l. in ratione 11. §. si servus, ff. ad l. Falcius.* ibi: *Qui moriente domino ea valetudine affecti fuerant, ut eos non posse vive-re certum esset.* Sunt enim quædam vulnera infan-  
tabilia, veluti cordis percussio, quæ omnino hominem perimit. Julius Solinus *Polys. cap. 1. ibi: Convenit inter omnes corda primum ex universa for- marि carne, eamque in diem quintum & sexagesi- num crescere, deinde minui, ac ex ossibus finnas: ea propter capitale esse, si pars altera noceatur.* Si- militer percussio cerebri, medulla, spina, item pulmonis percussio insanabilis est, nec non si diaphragma ruptum sit; nam diaphragma est musculus, qui dividit cor, & pulmones à lie- ne, & jecore. Eaque etiam mortalia sunt vulnera, si arteria rupta sunt, veluti arteria venosa, arteria vocalis, & arteria aspera. De quibus, & aliis vulneribus agunt Hippocrat. *aphor. 18. sent. 6. ibi: Cui vescica perforata fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut tenui quod-dam intestinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale est.* Cornel. Celsus *lib. 5. cap. 26. ibi: Servari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomacu- bus, cui jecunioris porta, cui in fina medulla per- cussa est, cuique aut pulmo mediun, aut jejunum, aut tenui intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt, cuius circa saucis grandes vena, vel arteria præcisæ sunt.* Alia autem vulnera sunt, quæ quamvis ad sanitatem vix perveniant, non tamen de eorum incolmitate desperatur. Idem Celsus *dict. cap. 26.* Quare in illis non expectatur eventus, in his vero eventus expectandus est. Unde fit, quod si quis alteri vulnus in corde, vel in pulmone inflixerit, illico nullo expectato eventu occidisse creditur, ac proinde quamvis postea ex plaga, quam alius imposuit, celerius mortuus sit, uterque de occiso tenetur, *dict. Lita vulneratus.* Si autem vulnus non ita lethale sit, primus de vulnerato, secundus de occiso tenetur, ut docuerunt Cujacius *lib. 86. Digestor in dict. l. iia vulneratus,* Antonius Matthæus de *crimin. ad tit. de leg. Cornel. de sciaris. c. 3.* D. Joannes Suarez *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 3. sent. 3.* Quoad irregularitatem autem, de qua in praesenti textu agitur, certum est, non solum eum, qui occidit, verum etiam qui mortiferè vulneravit, irregularitatem contrahere, ut ex hoc textu communiter resolvunt repentes hic, Villadiego in *tract. de irregul. cap. de Cleric. per- cussore, numer. 3.* Valentia *tom. 2. illustr. tract. 4. cap. 4. num. 33.*

3. i judicio medicorum.) Qui adhibendi sunt ut periti in arte, juxta tradita in *cap. 3. de probat.* quia in his questionibus medici judicant, non Jure-

consulti: creditur autem illis, si cum juramento deponant, absque eo ramen non facilis fides habetur, sicut nec uni, nisi fortasse plures habeti non possint; quo casu necessariò uniuersi judicio standum est, argumento legis 6. *Cod. de re milit. lib. 1. in princip. &c. §. de inspicioendo, ff. de ventre inspic.* lib. 1. §. *idem, lib. 20. ff. de quaest. novella 7. Justin. cap. 3.*

k *Cessare sit tutius.*) Verba hæc expofuit supra in cap. ad audienciam.

1 *Homicidium perpetravit.*) Si propter hominem occisum criminaliter agatur, & plures pre-meditato confilio in eum irruerunt, sive omnes percutserint, sive aliquis, sive unus, omnes tam en ultimo supplicio tanquam homicida puniuntur, quia omnium idem dolus, & facinus aequalis est, l. 2. §. *si quis non homines, de vi bonar. rapt. l. 3. ff. ad leg. Iust. de vi privata. cap. ult. 23. quæst. 111. lib. 57. §. 111:* Et ita omnes manent irregulares. Docent Paz, in *dict. l. 57.* Anton. Gomez *lib. 3. variar. cap. 3. num. 36.* Covart, in *Clement. §. furiosus, 2. part. §. 2. num. 2. vers. Primus casus, Sesie tom. 1. decif. 103.* Sed si non premeditato confilio, sed casu rixa orta fuerit, & conlet, quod vulnus lethale sit, & quis illud intulerit, ille tantum, qui hominem morticerè vulneravit, tenebitur de occiso, ceteri si non vulneraverint, non tenebuntur; si autem vulneraverint, propter vulnera solummodo, non propter mortem puniendi erunt, cum singulorum dñe par culpa, & inaequale fuerit delictum, lib. 1. §. *Divus, lib. ult. ff. ad leg. Cornel. de sciaris:* quo casu ille solus, qui lethale vulnus intulerit, irregularis sit, Gomez, & Covar. ubi supra, nisi non ex uno portiùs, quam ex altero, sed ex omnibus pariter vulneribus mors fuerit illata; runc enim omnes homicidæ consenserunt, & irregulares ex hoc textu, & ex cap. final. 23. *quaest. 5.* Quod si omnes vulnera intulerint, & unum tantum lethale vulnus sit, nec appareat a quo illatum fuerit, licet iure civili pœna pecuniaria omnes tenerentur, l. item *Mela 11. §. si plures ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. ult. ff. de his qui de secerunt: criminali tamen ordinaria pœna mortis puniri non debent, ex ratione legis absentem 5. ff. de penis:* sed potius extraordinaria coercibuntur, ut defendunt Gomez, & Valentia *ubi suprà Faber in ration. ad textum in dict. Lita vulneratus.* Similiterque si unus tantum lethale vulnus intulerit, ceteri autem non vulneraverint, & quis eorum fuerit, non appareat, omnes a pœna mortis erunt immunes, sed arbitrio judicis coerceri debent, d. 1. 57. §. 111. Jul. Clarus *lib. 5. sent. 8. ho- micidium, n. 3.* sed eo casu omnes irregulares esse resolvunt Covar. *ubi suprà, n. 5.* Valentia d. 4. num. 33.

5. *Moderamine inculpæ.*) Occidens enim aliquem se defendendo, quando aliter mortem vitare non valer, irregularis non est, *Clement. unic. hoc tit. Ratio est,* quia ad irregularitatem contrahendam propter homicidium privatum necessaria est culpa homicidi, falso item aliquævis vero, qui ad defensionem aliquem occidit, nullam culpam homicidi contrahit: ergo non erit irregularis. Minor probatur, nam unicuique naturali ratione permisum est se ab aggressore defendere, l. ut vim, ff. de iust. & iur. l. 1. §. *cum arietes ff. si quadrupes pauperem feciss. dic. Ised eti, scientiam, §. qui cum alii, ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. vim vi, l. 3. §. eum igitur, ff. de vi & vi armata, l. furex nocturnum. ff. de fi- car. l. 2. & 3. Cod. eod. tis. l. 1. Cod. unde vt, l. 1. Cod. quando*

quando liceat se vindicare , cap. 2. cap. suscepimus , §. significati 1. & 2. de homicid. c. 3. de sent. excom. c. dilecto, eod. tit. in 6. & Clement. pastoralis, §. ca- terum, dere judicata: quibus consonant lex 3. 4. & 8. part. 7. lex 4. tit. 13. lib. 8. Ordin. lex 4. tit. 23. lib. 8. recipit quibus suffragatur, quod Cicero in oratione pro Milone sic scribit: est enim hec, judi- ces, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arri- pimus, hanc simus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non insinti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas infidias, si in vim, in tela aut larvo- rum, aut inimicorum incidisset, honesta omnis ra- tio esset expedienda salutis. Est enim à natura con- cessional, ut vim vir repellere possimus, ut omne ani- mal natura duce ad conservandum se, & speciem suam impellitur, ut ait Aristoteles lib. 1. polit. & probav. supra in cap. 3. hoc tit. Ampliatur praefens doctrina, ut procedat etiam casu, quo occidens se defendendo animum, & intentionem occidendi habet: cuius resolutionis ratio duplex est. Prima, quia in quolibet actu inseparabiliter inest volun- tas potestatis, argumento textus in l. multum inter- est, Cod. si quis alteri, vel sibi. Ergo dum lex per- mittit potestatem occidendi agere efforem, permit- tere etiam videtur intentionem, & voluntatem occi- dendendi. Secunda, quia defensio à jure permitta est: ergo jure debet etiam permitti voluntas occidendi; quia occidere est medium necessarium defensionis, tanquam præambulum necessarium ipsius, argu- mento legis illud, ff. de acquir. hared. docuerunt Navar. in manuali, cap. 15. nu. 2. Sotus de iustitia, quæst. 1. art. 1. Nec obstat textus in cap. de occiden- dis 23. quæst. 5. ubi permittitur judici, & militi occi- dicere se defendendo animo occidendi, quasi se- cus sit in aliis: cuius textus, & aliorum iurium, & rationum argumento contrariam sententiam defendant D. Thomas 2.2 quæst. 64. art. 7. & Ca- jeranus ibi, Tabiena verbo homicidium, quæst. 7. & Abulensis super Mattheum cap. 5. part. 26. nam ten- dendo priorem opinionem respondendum est: textum in dict. cap. occidendi, loqui quando non occidit quis se defendendo, sed occidit prævenien- do ad cavendam injuriam, vel mortem futuram: quo casu dicitur homicida, quia non occidit se defendendo; secus vero est, quando aliquis occi- dit in ipso actu aggressionis, quia tunc occidere permititur. quamvis habuerit animum occidendi. Hoc tamen homicidium defensionis causâ com- missum debet fieri servato moderamine inculpata- tutæ ex præfenti textu; alias voluntarium dicitur, l.1. Cod. unde vi: docet Acunna in cap. miror 50. diff. Bartholomaeus Sanchez in repet. ad eundem texum.

## COMMENTARIUM.

6. **D**ubium enim, & non leve, tam apud Cano- nistas, quam Theologos est, an in casu dubio debeat quis irregularis judicari, vel non? Erit dubio neminem irregulararem censendum esse, docue- runt Innocent. in cap. ad andientiam, supra hoc ti- tulo. Covar. in Clement. si furiosus, 1. part. in initio, Navarrus in c. si quis autem, de pœnit. diff. 7. Garcia de benefic. 7. part. cap. 1. num. 21. Ioannes Sanchez in select. diff. 4. 2. num. 14. Hurtado de irregul. lib. 1. difficult. 4. Turrianus de censur. lib. 8. diff. 17. dub. 3. affirmant vero irregulararem esse judicandum San- chez tom. 1. summa, lib. 1. cap. 10. Avila de censur. part. 7. diff. 2. dub. 5. Villalob. in summa, tom. 1. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

tract. 1. difficult. 2. num. 2. Flores de Mena varian, quæst. 9. Sayrus de censur. lib. 2. cap. 2. num. 16. Vgo- linus eod. tract. cap. 4. §. 2. num. 3. Azor. part. 1. 2. cap. 19. quæst. 29. Alii docent in foro exteriori ne- minem in casu dubio irregulararem credi, secus verò in foro interiori, qui probi hominis est ibi cul- pan timere, ubi culpa minimè reperitur, c. final. 5. diff. c. 2. de ob. jejuni. Ita docuerunt Abbas, Ho- stiensis, & Joannes Andreas in dict. cap. ad audi- entiam, Armilla verbo Irregularitas, num. 8. Tabiena eod. verbo, num. 3. Ledesma, Majolus, Philarcus, & Farina. quos referit Elcobar de utroque foro, art. 1. §. 5. Alii delictum constituant inter irregu- laritatem provenientem ex homicidio, & inter provenientem ex alii causis. In irregularitate pro- veniente ex homicidio etiam in dubio presumi quem irregularem afferunt, quia id expressum est in praefenti, & supra in cap. ad andientiam; secus verò in aliis casibus, quia id expressum non est. Ita Layman part. 2. moral. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 39. Bo- nac. de censur. diff. 7. quæst. 1. panet. 5. Alii relati à Barbolा in dict. cap. ad andientiam, num. 3. Diana pari. 4. tract. 4. resol. 73. Tandem alii existimatunt alteri distinguendum esse, videlicet aut dubium est juris, an scilicet irregularitas pro certo delicto in- flicta sit, & eo casu nullo modo quem irregulararem credi; aut dubium erat facti, an videlicet factum propter quod irregularitas imposita est commissum fuerit; & in hoc casu presumi quem irregularem, quia in dubius ratiōne partem sequi debemus, c. 3. deffonsal. c. 2. de consanguin. cap. unic. de scrutin. Ita docuerunt Covar. ubi supra, Suarez diff. 40. secl. 6. Gibalin. de irregul. cap. 2. consecl. 6. Sed placet opinio negativa, scilicet quoconque casu dubium verratur, excludi irregularitatem in utro- que foro, dum ita res dubia est, ut nullo modo veritas probari valeat, etiam præsumptionibus. Et quidem si dubium juris est, constat irregularitatem tantum contrahi in casibus, à jure expres- sis; & si dubium facti sit, etiam probatur hæc sen- tencia, quia nemo punitur ob peccatum dubiu- um, cap. nos, cap. Index 2. quæst. 1. l. 3. §. 1. ff. de minor. l. absentem. ff. de pœnis. l. final. Cod. de pro- bat. in dubiis enim favendum est reo, cap. circa sunt, de R. l. in 6. quia procliviores sumus ad li- berandum, quādam ligandum, l. Arrianus, ff. de O. & A. Nec hoc solū procedit in foro exteriori, sed etiam in interno; si enim quis dubitet, an votum fecisset, necne, non tenetur ipsum adimplere, ut viginti authoritatibus relatis probat Diana 4. part. tract. 3. resol. 11. & dubitanus an dam- num intulerit, ad restitutionem non tenetur. Diana ibidem. resol. 27. & in dubio an casus sic reservatus, necne, non creditur reservatus. Portell. in dubiis regularib. verbo Casus reservatus, nu- mer. 7. Diana supra, resol. 4. & si dubitetur, an aliquis legitimus filius sit, nec ne, præsumi- tur legitimus: ipse Diana pluribus relatis resol. 6. Ergo similiter in dubio facti, an quis ex homicidio, vel alio casu irregularis sit, dicen- dum est, irregularare non esse, immo ut posse possessione sua, in qua antequam dubium emer- geret, erat. Ita tenet Elcobar de utroque foro art. 1. §. 5. Gibalinus ubi supra. Unde inferitur, procurantem abortum, & dubitantem an fetus esset animatus, necne, non manere irregula- rem. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. num. 43. Bar- bosa de potest. Episcop. alleg. 51. num. 141. Carranza, Diana, aliquis apud Elcobar supra nu- mer. 89. Sotus, Sayrus, & Scortia apud Gibalinum

*dicit. c. 4. consell. 7.* Idem circa militem dubitatem  
an aliquem occiderit, resolvit Diana p. 4. tract. 2.  
resol. 2. & 52. Escobar, & Gibalin. *ubi supra.* Idem  
dicendum est de consulente homicidium, & dubi-

tante an ejus suafu sequutum sit: quem casum ex-  
plicant Petrus Cornejo in 3. part. tract. de irregul.  
disput. 1. dub. 2. Diana part. 4. tract. 2. resol. 25.  
Escobar supra, num. 45.

## CAPUT XIX.

<sup>a</sup> Idem.

**T**u nos duxit fraternitas consulendos. *Et infra:* Tertiò quæsivisti Apost. Sed re-  
sponso explicari, quid sit de quodam monacho sentiendum, qui credens se quan-  
dam mulierem à gutturus tumore curare, ut chirurgicus cum ferro tumorem il-  
lum aperuit: & cum tumor ille aliquantulum residisset, monachus ipse mulieri præcepit,  
ne se vento exponeret ullo modo, ne forte ventus gutturus aperitionem intrans, sibi  
causam mortis inferret. Sed mulier ejus mandato contempto, dum messes colligeret,  
vento se exposuit incaute, & sic per aperitionem gutturus sanguis multus effluxit, &  
mulier diem finivit extreum: quæ tamen confessa est, quod quia vento exposuit se-  
meriplam, sibi dederat causam mortis. *Utrum videlicet, cum prædictus monachus*  
*fit sacerdos, liceat ei sacerdotale officium exercere.* Nos igitur f. t. taliter responde-  
mus, quod licet ipse monachus deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi mi-  
nimè congruebat; si tamen causæ pietatis, & non cupiditatis, id egit, & peritus erat  
in exercitu chirurgiæ, omnemque studuit diligentiam, quam debuit, adhibere, non  
est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reproba-  
dus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut  
divina valeat celebrare: alioquin interdicta est ei sacerdotalis ordinis executio<sup>b</sup> de ri-  
gore.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **I**dem.) Ita etiam legitur in quarta collectio-  
ne, *sub hoc tit. cap. 3.* sed inscriptio restituenda est *ex cap. tuanos, desponsal.* ubi integrum epi-  
stolam Innocentii transcripsi.
2. <sup>b</sup> **D**erigore.) Quia dabat operam rei illicitæ  
artem chirurgicam monachis prohibitam exer-  
cendo. Docuerunt Covart, *in Clement. f. furiosus,*  
*2. part. §. 4. num. 2.* & omnes illi, qui commu-  
nem distinctionem agnoscent inter eum qui dedit  
operam rei licita, vel illicita. Ita hanc textum  
aceperunt Molina *de iustitia disp. 77.* Avila de  
censur. 7. part. disput. 6. scđt. 1. dub. 2. Villalobos  
*in summa, tract. 2.1. tom. 1. difficult. 24.* Sed rectius  
Sotus, Prepositus, & Hurtado, quos refer &  
sequitur Gibalinus *de irregul. cap. 4. regul. 2. con-*  
*fess. 1.* docuerunt in presentimonachum non de-  
clarari irregularem, sed tantum Innocentium af-  
ferere monachum graviter delinquisse alienum of-  
ficium usurpando, ut constat ex illis verbis: *Mul-*  
*tum deliquerit.* Unde docet Innocentius *juxta juris*

rigorem suspendendum esse à sacerdotialis ordinis  
executione, ex quibus verbis apparet, monachum  
istum non esse irregularem, quia ejus culpæ non  
contigit homicidium, quamvis peccaret alienum  
officium usurpando: si autem vel impunita,  
vel negligentiâ ipsius contigisset mors mulieris,  
certum est irregularem futurum fuisse. In præ-  
terea casu suspensio incurrit; & ita docet Inno-  
centius, post condignam satisfactionem posse ex mi-  
sericordia divina celebrare. Nec verba illa, *pote-*  
*rit misericorditer cum ipso agi,* important irre-  
gularitatem; nam idem dicitur de eo, qui in duello  
partem digitæ amiserat, *in cap. 1. de corpor. viriat.*  
cum tamen ille minimè sit irregulatus, sed depo-  
nendus, *cap. 1. de clericis pugnant.* Etiam *in cap. ult.*  
*de bigamis,* dicitur dispendare Episcopum cum sa-  
cerdote, qui plures habuit concubinas, sicut cum  
fornicatore simplici, ut sacerdotialis munia obeat;  
& tamen confat ex ibi traditis, sacerdotem in ea  
specie nec esse bigamum, nec per consequens irre-  
gularem: igitur ex simili loquendi formula non  
rectè deducitur, irregularitatem contractam esse,

## §.

**A** D ultimum fuit ex parte tua propositum, quod quidam scholaris metuens, ne latro-  
nes in domo sua essent, parvo assumpto gladio, ut ignem quereret, destrato  
surrexit; & cum venisset ad ostium, ignarus reperit ibi forem, qui cum scholari  
luctari incipiens, non solum ipsum scholarem prostravit ad terram, sed etiam penè ad  
mortem vulneravit eundem. Scholaris vero provocatus ab illo, vim vi in continentia  
repellens, extracto, vel extorto latronis gladio, eundem servato juris moderamine re-  
percussit, qui præterritus fugam, quām citius potuit, maturavit. Mane itaque lucelcente,  
scholares latronem quæsiverunt eundem, qui vulneratum inventum Potestati Vicentia  
tradiderunt, coram quo constanter negavit, quod præmissa minimè perpetravit. Unde  
præfacta